

05

A

1425





DISPUTATIO

31

De

ULTIMO HOMI-
NIS FINE.

Quam

Sub auspiciis S. S. & Individuæ Trinitatis,

ET

PRÆSIDIO

M. HIERONYMI VV EIXELBERGERI
VVellensis Austriaci, Facult. Philos. in Electorali
VVittebergensi Academia Adjuncti.

Publicè proponit

GEORGIUS LAURENTII Lippâ-
Bojemus.

*Ad diem 8. Septembris horis pomeridianis in audi-
torio veteri.*



WITTEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat, Anno 1619.

56.



Σὺν Ὁσῶ

THESIS I.



Orpescit mens nostra ocio, frequentioribus verò officiis, functionum crebritate longè vegetior evadit. Concipit enim ex divinitate sua in se ipsa: parit præclaras soboles, inquit veritatis alumnus. *J. Caesar Scalig. de plane. p. 393.*

2. Hoc si ita est, ut certè est, certè cessandum non est.

3. Cùm autem secundum eundem *Scalig. exerc. 157. s. 1.* homines liberos temporis parcissimos conservatores ætatis suæ momenta, quæ adferre debent ad sapientiam consequendam haud inanitatibus dispensare deceat: missis ineptis quæstionibus, nobilem istam, & multis modis inter Philosophos agitaram de ultimo rerum humanarum scopo, seu fine, scilicet summo bono, seligamus, eamque placidæ collationi subjiciamus.

4. Verùm quia duplex datur hominis finis. Theologicus, qui est unio cum DEO sive fruitio secundum omnes hominis facultates, & sic extra nos *Clariss. Dn. Jacob. Marc. disput. Ethic. 4.* Politicus alter, qui in nobis actionibusque humanis, perficiturque operatione efficientis: de hac in hoc loco agemus.

5. Ne autem ab illo devii, ad quem omnes actiones tum cogitationes collimare debent, aberremus; totam hanc nostram disputationem secundum quatuor causarum genera: An, quod, quale, & cur sit, quæ tradit *Aristot. lib. 2. Anal. c. 1.* instituemus.

6. Quia verò cognoscere *ἢ ἴσθι* non possit, qui ignorat, *εἰ ἴσθι*. *Aristot. l. 2. Anal. c. 7. th. 39. & c. 10. Eorundem t. 44.* Quæstionem, an sit summum bonum meritò præponimus: quippe cùm inane sit scire, quid res sit cum eam esse nesciamus. *l. 2. post. c. 9. t. 8* Et non Entis nullæ dantur affectiones, nulla *πράξις*, nullæ actiones.

A 2

7. Esse

7. Esse itaque Finem summum, sequentibus evincimus rationibus:

8. 1. Omnia animalia agunt propter finem. Ergò vel maximè homo, animal illud nobilissimum *Scalig. exerc. 250.* imò princeps animalium. *Scalig. in Theoph. de plantis c. 3. fol. 225.* Et propter quem omnia sunt condita, finem aliquem ad quem tendat, eumque ultimum sibi habebit præfixum. *Antecedens* manifestum: hoc enim qui negat, totum creationis opus nihili arguit, imò creaturas omnes frustra esse conditas absurdissimè affirmat.

9. 2. Quod de singulis partibus affirmatur, etiam de toto potest affirmari. 1. *Nic. c. 7.* Sed cujusque membri in corpore humano certa est operatio, certus finis, quod ex inductione omnium patet. Ergò & toti homini, ejusque operationibus finis aliquis denegari nequit. *Vid. Mag. l. 1. Ethic. c. 1. p. 12.*

10. 3. Ab absurdo duplici: Si non daretur, in quo homo acquiesceret, & ad quod omnia appetitus humanus referre posset, utique in infinitum procederet. At infinitum natura non admittit. *Arist. lib. 3. de anima. c. 12. c. 60.* Ergò & c. 2. Appetitus hominis frustra esset concessus, nunquam enim finem suum assequeretur, imò vana esset omnis nostra spes, vani conatus & actiones, id quod trito isti, *ὁ θεὸς καὶ φύσις ἔδεν μὰ τὴν ποίησιν.* *Arist. 1. de celo c. 31.* è diametro contrariatur.

11. Accedit autoritas platonis. *Ars, inquit, inventa est ad finem utilem in Dialog. de regno,* non enim est de inutilibus. *Scalig. exerc. 36.* Siquidem omnis doctrina, itemque actio bonum aliquid expectere videntur. *Arist. 1. Eth. 1.* Sin hoc! quanto magis hominis natura bonum quid? Natura enim DEI potentiâ; ars verò ab hominibus excogitata, & non nisi eorum est, quæ à nostra voluntate dependent, & aliquo humano artificio fabricantur. *Zabarell. de nat. Log.*

12. Dato itaq; fine ultimo, & quæstione *εἰ ἔστι,* An sit, discussâ sequitur *τί ἔστι:* cujus cognoscendæ causa traditur definitio, *l. 6. Top. c. 3. l. 2. post. c. 13, r. 72.* interim quid nomen significet prætermittendum non est, cum in eo omnes ferè periti & imperiti consentiant; idem esse *εὐζωίῳ, εὐπείθειν, εὐδαιμονεῖν.* *lib. 1. Ethic. Nic. 4. l. eod. c. 8.*

12. De

13. De re verò disputatio gravior. *Marcus Varro* tam multam dogmatum circa hanc varietatem diligenter & subtiliter scrutatus advertit, ut ad 288. sectas, non quæ jam essent, sed esse possent, adhibens quasdam differentias, facile perveniret, referente *August.* lib. 19. de civit. DEI. Picol. grad. 9. c. 10. potissimum decem recenset: Quarum quædam opinioniones suâ futilitate ultrò concidunt, & refutatu indignæ sunt. Hinc quinque tantum primariae & communissimæ à Philosophis solent discuti & examinari.

14. Quatuor enim potissimum sunt hominum genera, ut docet *Arist.* lib. 1. Ethic. 5. *Camerarius* l. 1. Ethic. o. 6. 1. Est ἀπολαυστικὸν & voluptuosum, quo in genere Epicurus & illius de grege porci. 2. Et χρημαστικὸν vel quæstuosum. 3. πολιτικὸν & ambitiosum. 4. θεωρητικὸν vel contemplativum, quo spectant tum Platonis Ideæ, tum Stoicorum opinioniones, Reverendus & Excellentiss. Dn. D. Meisnerus in dissert. de Summo bono l. 1. c. 8.

15. Primum genus hominum ἀπολαυστικὸν, qui summum bonum in voluptate collocant, solumque in curanda cute occupati semper cum Sardanapalo illud Epicureum in ore habent:

Lude, bibas, comedas, post mortem nulla voluptas.

potius reprehensione dignum quam refutatione. *Aristot.* monente l. 1. top. c. 8.

16. Sed ne videamur rationibus destitui, En habes! Si summum bonum est in voluptate, erit hoc vel corporis, vel animi. 7. Ethic. c. ult. At in neutra horum. Ergò.

17. Non in voluptate corporis, 1. quia beatitudo hominis debet esse propria. Voluptas verò hominibus communis cum bestiis. Non autem beatitudo hominibus cum bestiis potest esse communis. *Coll. Con. disp.* 3. in lib. *Arist.* Eth. quæst. 2. art. 2. Omnis enim finis sequitur rei ipsius sive formæ constitutionem. Jam forma bestiae est ἀλογόν ἢ, hominis verò τὸ λογικόν. *Zab. lib. de facult. animæ.* Porro ἀλογόν & λογικόν sunt contraria. *Scalig. exerc.* 307. sect. 5. Ergò finis ultimus hominis & bestiae unus idemque esse non potest, sed inter se sunt contrarii, quia formæ, quas insequuntur, sunt contrariae.

18. II. Quia corporis voluptas stare potest cum pessimis vitiis, cum luxu, adulterio &c. quippe quæ procreatrix & mater istorum est, Cic. 1. de leg. Quis hoc de summo bono pronunciat, nisi infans? Verius antiquum proverbium, quod contrarium infert, ἐν τῷ φιληδονεῖν γίγνεται τὸ δυστυχεῖν. Ex voluptate nascitur infelicitas.

19. Nec consistit summum Bonum in voluptate animi, licet indissolubili nexu cum summo bono sit copulata, 7. Ethic. 6. 13. 1. quia est affectio summi boni, sicut risibilitas est affectio hominis. Picol. grad. 9. Philosoph. moral. 6. 21. Casus in spec. l. 1. c. 4. Affectio autem non est de essentia seu forma rei, sed aliquid ea posterius, Scal. exerc. 10. 2. quia voluptas neminem denominat bonum, ne dum summè bonum. 3. quia voluptas ex se non est honesta vel bona, sed ex virtutis actione honestatem & bonitatem mutuatur.

20. Secundum hominum genus dicitur χρηματικὸν quaestuosum, qui in pecuniis & divitiis beatitudinem ponunt. Aristot. 5. Ethic. 5.

21. Verùm & horum opinionem ut absurdam meritò rejicimus, propter sequentes rationes. 1. quia sunt bona externa, & duntaxat ob imbecillitatem corporis necessaria. Summum bonum verò est interna mentis operatio. Ergò.

22. 2. Divitiæ sunt violentæ, & alterius gratiâ appetuntur. Aristot. 1. Ethic. 5. & infra hominis excellentiam sunt collocatæ. Boëtius l. 2. de consol. Summum autem bonum propter se expetitur, & in eo maximè excellentia hominis conspicitur. Ergò.

23. 3. Quia summo bono non possumus abuti. At divitiis possumus, ideoque multis perniciem omnibus penè periculum creant. Casus in spec. l. 1. c. 4. Hinc Chiron interrogatus, quid essent divitiæ, respondit: Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio.

24. Nihil hinc moramur quorundam objectiunculas. 1. quòd omnes homines naturæ quodam instinctu divitias magnificent & exoptent. 2. quòd divitiæ sint substantiæ, & ad salutem nostræ substantiæ ordinatæ: Cùm virtutes & actiones earum accidentia sint, substantiæ verò præstent accidentibus. Respondemus enim ad 1. quòd hoc fiat ex indicio vulgî, quod suo ingenio aliorum ju-

rum judicat. Etsi verò aliquando sapientes appetunt pecuniam, appetunt eam non ut pecuniam, sed ut instrumenta virtuti inventientia: Ad 2: cum Piccol. grad. 8. c. 9. dicimus, quod hinc divitias non Metaphysicè, pro ut sunt Entia consideremus, quo respectu virtutibus, quæ accidentia, præferendæ, sed Ethicè & consideratione morali, per quam quærimus non Esse novum, sed perfectionem compositi jam existentis. Nos enim cum per mentem constituamur, ea præferre ac magnificere tenemur, quæ animum & mentem perficiunt. Divitiæ non mentem perficiunt, sed tantum sunt externa instrumenta ejus: Virtus verò & actio proba mentem perficit, ideò hac consideratione virtus est præferenda, & homo probus homini diviti & improbo longè est anteposendus.

25. Tertium genus est πολιτικὸν καὶ πρακτικὸν civile seu actuosum, qui honestatis, laudis & gloriæ sunt studiosi, adeoque omnem in honoribus beatitudinem sitam esse arbitrantur, sequentibus rationibus refutamus.

26. 1. Quia summum bonum intra nos est, & difficillimè à nobis eripi potest, Arist. l. 1. Ethic. Nic. c. 5. lib. 1. Eud. c. 5. At honor est extra nos, & facilè à nobis eripitur; dependet enim ab instabili hominum voluntate, quæ in singulas horas mutari potest Mag. p. 38.

27. 2. Summum bonum est οἰκείον, hoc est, proprium ejus, qui id possidet. At tale quid honor non est. Rectè enim Casus in spec. mor. l. 1. c. 4. Honor est per essentiam & subjectivè in honorante, est autem per causam & objectivè in honorato. Animadvertit hoc probè Pyrrhus (ut est apud Plutarch. in Apoph:) qui domum reversus rebus feliciter gestis, cum à suis militibus Aquila salutaretur, per vos, inquit Aquila sum, qui enim non essem, cum vestris armis velut alis sublever? Illatio jam facilis.

28. Nil obstat, quod honor dicatur præmium virtutis, unde quidam inferunt, quemadmodum propter precium laborare solemus, sic propter honorem virtuosè agere videmur. Respondemus enim quòd honor præmium virtutis dicatur, non propter quod vir bonus operetur: sed quod ab hominibus majus aliquod præmium, seu publicum inculpatæ vitæ testimonium ἀξία exhiberi nequeat.

29. Restat quartum vite genus, quod dicitur *θεωρητικόν* seu contemplativum, estque eorum, qui in contemplatione felicitatem quærunt, Suntque in duplici statu. Quidam in Idea, ut Platonici: quidam in virtutis habitu, ut Stoici.

30. De priori, *Platonis* scilicet sententiã inter se non conveniunt interpretes, Quidam statuunt Platonem existimasse dari bonorum omnium universalem quandam ideam extra singularia existentem, in ejusque contemplatione *ευδαιμονίαν* esse ponendam, quam opinionem passim exagitat *Arist. 1. Eth. c. 6.*

31. Alii sentiunt Platonem per Ideas intellexisse DEUM, qui bonorum omnium forma & exemplar, à quo quicquid bonum est, suam trahat originem: Proinde hominem tum esse beatum, quando ad illius separati boni cognitionem pervenerit, legatur *Picol. grad. 9. c. 24. Casus in spec. l. 6. 6.*

32. Contra priorem opinionem ita argumentamur: 1. Ubique dantur diversa genera, ibi non potest dari communis & universalis forma seu Idea. Sed in bonis dantur diversa genera. Ergo eorum non datur communis idea. Ergo in ejus contemplatione summum bonum non quærendum.

33. 2. Ubique datur prius & posterius, ibi non datur universalis Idea, *Arist. lib. 1. Ethic. Nic. c. 4.* Sed in bonis datur prius & posterius. Nam bona in prædicamento substantiæ sunt priora illis, quæ reliquis insunt prædicamentis. Ergo.

34. 3. Si ideæ essent, aliquid separatum & distinctum à suis singularibus sequeretur eas etiã ab his diversam habere definitionem. *Magirus l. 1. Ethic. Arist. p. 6.* At non hoc, testibus etiam ipsi Platonicis. Ergo nec illud.

35. Posterior explicatio pia quidem est, sed non tangit statum quæstionis: Nos hîc inquirimus beatitudinem temporalem & civilem. Plato agit de beatitudine æternã, quæ ut perfectior ab hac nostra distincta est.

36. Stoicorum opinionem rejicimus propterea; 1. quia habitus ille virtutis in dormiente esse potest, id est, in nihil agente. At felicitas sic inesse non potest. *Casus in spec. l. 1. c. 4.* unde etiam per actionem definitur. *1. Ethic. c. 7.*

36. 2. Per summum bonum debet homo particeps fieri bonorum in vita communi. At quis illud virtutis habitui tribuet? Etiam si enim vel maximè virtutem in habitu & non in actu, in quiete & non in motu, in sinu & non in manu teneas, tibi tamen ut aliis ad exemplum, ita etiam ad beati nomen consequendum nequaquam proderit. *Casus in spec. l. 1. c. 4.* Hinc Aristoteles *1. Eth. Nic. c. 8.* eleganter ait: ἡ εὐδαιμονία οὐκ ἐν κτήσῃ ἀλλὰ χρῆσῃ τῆς δρετῆς: οὐκ ἐν ἔξῃ ἀλλὰ ἐνεργείᾳ ἔστιν. Ac proinde in Olympiacis certaminibus corona dabatur non pulcerrimis aut fortissimis, sed illis, qui & certabant, & certando vincebant. *1. Eth. Nic. 1. Mag. Eth. 1. p. 75.*

37. Sic hæcenus positum est ex veterum placitis, quid summum bonum non sit: Reliquum est, ut quid revera sit κατὰ σκοπὸν proponamus & exponamus.

38. Duas tradit hic Philosophus definitiones, quarum prior τῆς ποιότητος, ostendens, quale sit summum bonum, altera τῆς οὐσίας ἢ ἔργου, essentiam illius declarans: hæc ὁρῶν οὐσίᾳ, illa ἐννοητικῶς dici potest.

39. Accuratiore & essentialis definitio est εὐδαιμονία εἶναι ἐνεργεῖαν τῆς ψυχῆς λογικῆς κατὰ δρετὴν καὶ τελειότητα ἐν βίῳ τελείῳ, *lib. 1. Eth. Nic. 7.* Beatitudo est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

40. Constat hæc genere & differentiâ specificâ. Nam ad essentiam duo requiruntur convenientia, quæ δυνάμις & discrepantia, quæ ἐντελέχεια dicitur.

41. Genus est ἐνέργεια, id est, operatio, quod sic probatur: In quo præcipuè consistit & cernitur hominis perfectio & bonum, in eo est etiam hominis beatitudo. Nam beatitudo nihil est aliud quàm bonum & perfectio hominis. Sed in operatione & opere hominis præcipuè consistit & cernitur perfectio, si nimirum benè & rectè potest fungi suo munere. Ergò in operatione hominis consistit beatitudo. *Minorem probat Aristoteles l. 1. Eth. Nic. c. 7.* duplici argumento. Primum desumit à minore ad majus: Statuarii tibicinis, pictoris, & uniuscujusque artificis bonitas & perfectio cernitur ex ejus operatione, unde vulgò dici solet, opus probat

B

bat

bat, id est, commendat artificem, Das Werk lobet den Meister. Ergo & hominis: quandoquidem homo, quatenus est homo longè præstantior quàm artifex, hominem enim esse pertinet ad ejus naturam & essentiam. Alterum argumentum ducit ex loco partium: Cùm singula membra habeant certum aliquod munus & proprias operationes, quod ibidem inductione probatur. Ergo & hominis erit certa quædam operatio & proprium munus. *Vid. Mag. in Ethic. c. 7. p. 63.*

42. Differentiæ loco tria ponuntur. 1. Anima rationalis, non quòd corpus excludatur, cùm beatitudo ad utrumque conjunctim, hoc est, corpus & animam pertineat, sed quia virtus principaliter ab anima, non à corpore dependet, neq; etiam homini respectu corporis, sed animæ tribuitur, rectè operatio animæ non corporis dicitur. Quia verò tres animæ sunt facultates, vegetans, sentiens & rationalis, priores duæ, cùm cum plantis & brutis nobis sint communes excluduntur, & sola anima rationalis ponitur.

43. Duæ autem in anima rationali dantur potentiæ, intellectus scilicet & voluntas, quæritur ergo utri adscribenda? Ubi respondemus utrique: Intellectui nimirum tanquam principio proponenti & cognoscenti, Voluntati verò tanquam iussa intellectus exequenti & felicitatem assequenti, eò, quòd omnis virtutis actio propriè sic dicta, requirat *μεγαίρεσιν*, *μεγαίρεσις* verò *γνώσιν ἢ βίλησιν*, quarum illa mentis, hæc voluntatis est. Videatur *Reverendus & Excellentiss. Dn. D. Meisnerus in dissert. de Summo Bono c. 2. quest. Savon, in epit. Eth. lib. 1. concl. 14.*

44. Ponitur 2. quòd Beatitudo sit operatio secundum virtutem optimam & perfectissimam, quibus innuitur fundamentum, cui insistit, ac quo sublato, ipsa collabitur. Dissentiunt autem & hîc Philosophi, quæ virtus intelligenda, quam Aristoteles hoc in loco perfectissimam appellitet. Illi autem quàm proximè veritati accedere videntur, qui non unam peculiarem virtutem, sed unam quamque in summo gradu, quæ non est primùm inchoata, sed longo usu & crebris actionibus confirmata, ut ipse agens, ex talibus actionibus percipiat voluptatem, quæ indicium est, &

est, & signum perfecti habitus intelligunt; *Magirus in Ethic. c. 7. p. 65.*
Gal. lib. 1. Ethic. c. 7.

45. Additur 3. in vita perfecta: Ubi secundum Ethicos duplex notanda venit perfectio, una aetatis, altera durationis. Perfectio aetatis, quæ requirit exactum iudicium; Sicut enim respectu corporis, tum demum homo dicitur perfectus quando sibi simile generare potest: ita respectu animi, tunc affectus dicitur perfectam aetatem, quando secundum virtutem jam agere potest. Unde puero hæc felicitas denegatur. *i. Magn. 1107. c. 4.* Perfectio durationis requirit actionem constantem & continuatam ad extremum usque vitæ terminum. *Mag. p. 66.*

46. Quemadmodum enim una hirundo atque una dies non facit ver, ita etiam una aut altera actio virtutis, aut unus dies benè transactus non facit virum beatum. *i. Ethic. c. 7.* Hinc *Cic. ib. 2. de finib.* non in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis, vita perfecta duci solet.

47. Ex his jam planum redditur, quòd corporis & fortunæ bona ad essentiam summi boni nequaquam pertineant, qui enim virtute præditus est, & secundum virtutem agit, beatus est, sive *Æsopo deformior*, vel *Lazaro infirmior*, vel *Iro sit pauperior*. Rectè enim *Cassius lib. 1. spec. c. 6.* Naturæ error, morbus & deformitas miserum non definiunt. Beati enim à sola virtute miseri à solo vitio denominantur. Requiritur tamen ut instrumenta, & ad existentiam seu usum & splendorem. Non enim potest aut vix potest præclaras res gerere, is cui res non suppetunt. Multa enim efficiuntur quasi instrumentis & amicorum opera, & divitiis, & potentiâ civili. *Aristoteles lib. 1. Ethic. c. 8. sub finem.*

48. Hæc porrò felicitas non casu quodam aut fortuito obtingit hominibus: sed causam ejus efficientem universalem habet DEUM, particularem consuetudinem & industriam humanam. *Arist. 1. Eth. Nic. c. 3. l. 1. Eud. c. 1.*

49. Qui igitur virtutes colunt, inque illis colendis perseverant, iis etiam in hac vita mortali ante obitum contra Solonis opinionem beatitudinem quandam tribuere non dubitamus; quæ

neque casibus fortunæ, neque posteriorum infortuniis possit labefactari prorsus ut aboleatur. *Arist. l. 1. Ethic. c. 10. l. 2. Eud. c. 1. Mag. p. 93.*

50. Sequitur quæstio $\xi' \delta\tau\iota$: Quale sit bonum. Dividuntur $\tau\alpha\ \acute{\alpha}\gamma\alpha\ \theta\epsilon\acute{\alpha}$ ab *Arist. l. 1. Ethic. Nic. 12.* in $\tau\acute{\iota}\mu\alpha$ honorabilia, quæ per se veneranda, in $\epsilon\pi\alpha\gamma\epsilon\tau\acute{\iota}\alpha$ laudabilia, quæ merentur laudem ob usum, quem præstant, in $\xi\delta\epsilon\tau\epsilon\epsilon\gamma\alpha$, quæ per se nec laudem nec honorem merentur, quales sunt $\delta\omega\acute{\alpha}\mu\epsilon\varsigma$ facultates.

51. $\xi\delta\epsilon\tau\epsilon\epsilon\gamma\alpha$ non esse manifestum est, quia eo nemo abuti potest, nec cuiquam nocere potest, quod tamen de illo affirmatur.

52. Non est ex numero laudabilium. Nam bonum laudabile dicitur, quod laudatur propter aliam aliquam rem, quæ ei adest, vel quia ad illud refertur, seu propter respectum, quem habet ad aliud. Beatitudo autem non laudatur propter aliam aliquam qualitatem, sed propter se ipsam: neque etiam laudatur, quia ad aliud refertur, nam beatitudo est ultimus finis. Ergo beatitudo non est bonum laudabile. Major fit manifesta ex inductione bonorum laudabiliũ tam animi quàm corporis, quæ videantur apud *Arist. l. 1. Eth. c. 12. Mag. p. 101.*

53. Relinquitur ergo, quod sit $\tau\acute{\iota}\mu\iota\omicron\nu$, quia est $\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\rho\iota\tau\epsilon\varsigma$ & $\theta\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu$ & in se ipso præstantissimum omniq̃ue veneratione dignissimum, Dicitur verò $\theta\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu$ *1. Ethic. 9.* Est enim tale ratione causæ efficientis, quia à Deo, tum ratione dignitatis, quia proximè ad DEUM, accedit. Summo enim bono in civili vita nihil est præstantius. *Dr. D. Meisnerus de summo bono c. 1. quæst. 7. p. 88.*

54. Ultima restat quæstio, scilicet $\xi' \delta\iota\omicron\tau\iota$: circa eam tenendum, Beatitudinem esse duplicem, $\theta\epsilon\omega\rho\epsilon\tau\iota\kappa\acute{\iota}\omega$ & $\pi\rho\alpha\kappa\tau\iota\kappa\acute{\iota}\omega$.

55. Theoretica est operatio animæ rationalis secundum perfectam virtutem intellectualem.

56. Dicitur 1. $\theta\epsilon\omega\rho\epsilon\iota\kappa\acute{\iota}\eta$ à fine sive interna conditione, quæ tota est $\epsilon\nu\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega\rho\epsilon\iota\omega$ & contemplatione. Dicitur 2. functio animæ rationalis: Ut enim in genere summum bonum est talis operatio, sic etiam Theoreticum, & refertur ad animum $\nu\omega\sigma\tau\iota\kappa\acute{\iota}\omicron\nu$, cujus propriè est perfectio. Additur 3. secundum virtutem intellectualem. Ut enim practica forma & norma est virtus moralis,

ralis, ita hujus Theoretici est virtus intellectualis perfecta, quæ dicitur Sapientia.

57. Beatitudo Practica est operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam moralem.

58. Ut Theoretica consistit ἐν τῷ θεωρεῖν, ita hæc ἐν τῷ εὐπραγῆν & in exercitio virtutum moralium sive bonis compositis & honestis moribus, & dicitur prudentia. Perficit animum ὀρεκτικόν. Estque propriè hujus loci, non enim hic docemur scire, sed facere, non speculari sed operari. Conferatur *Dn. Iacob. Mart. in disp. Ethic. de div. S. B. tb. 3. & 4.*

59. Inquis: Cur ergò hic tractatur de summo bono theoretico, cum non sit hujus loci? *Respondeo* 1. tradi hic propter pleniorrem felicitatis practicæ cognitionem. Nam *εὐτυχία* juxta se posita magis elucescunt. Neque potest contrarium unum rectè intelligi, nisi quodammodo sciatur & alterum. 2. Distinguendo inter tractationem directam & obliquam, *κατὰ Φατικῶν* & *ἀνασπεντικῶν*, inter per se, & propter aliud: Tractatur in Ethicis de bono theoretico non directè & per se, sed obliquè & propter aliud, quatenus conducit ad illustrationem practicæ: non *κατὰ Φατικῶν*, ut fusè proponatur, sed *ἀνασπεντικῶν*, ut seponatur & indicetur istud a præceptis Ethicis alienum esse. Vid. *Dn. D. Meisnerum de summo bono c. 1. quest. 3. p. 81.*

60. Quæritur ultimò, an summum bonum Theoreticum præferendum practico? *Affirmamus*: Nam quodcunque hominem magis ut hominem perficit: id quoque homini erit magis bonum; cum omne bonum sit perfectio rei conveniens, sicque aliis omnibus præferendum. At hoc facit Theoreticum. Ergò. Minor probatur 1. quia *θεωρεῖν* est magis animæ rationalis functio quam *εὐπραγῆν*, ea enim sine corporis adminiculo simplicissima est, hæc sine corporis adjumento neque est, neque esse potest. Ea purissima & libera ab affectibus, hæc minimè. 2. quia Theoricum hominem supra humanam conditionem elevat in subtilissimam rerum divinarum & humanarum contemplationem, Et sic magis divinum facit intellectum nostrum, magisque cum Deo connectit. Ergò hominem magis perficit, & sic magis bonum ei est. 3. quia est ultimum hujus vitæ boni complemen-

rum, sine quo bonum practicum esse quidem potest, sed non perfecte. Nam quomodo virtus moralis omnia disponet, leges condet? de conditis recte judicabit? nisi rerum condiciones, dignitatesque hominis merita, perfectionem rite cognoscat, nisi suffulta sapientia. Neque igitur bonum practicum firmum & constans erit sine sapientia. Vid. Piccol. grad. 9. c. 47. p. 862. Iac. Mart. pisp. Eth. 4. de summi boni div. th. 4. quest. 4. quia tandem summum bonum theoreticum est absolute summum, ut sapientia absolute optima virtus: Piccol. grad. 9. c. 28. Plura de hac questione vide apud Aristotelem Eth. 10. c. 6. & Mag. in Arist. ib. Casum in spec. mor. lib. 10. c. 8. p. 636.

61. Tantum & de hoc bono Theoretico, quod propius accedit ad Theologicum, ad cuius fruitionem exoptatissima referret nos ille, qui sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, non alio bono bonus, sed omnis boni bonus, uti loquitur Augustinus, cujus verbis dissertationem hanc claudimus.

Corollaria-

1. An Deus proprie & accurate loquendo, sit considerationis Metaphysicae? N.
2. Num animae brutorum & plantarum remaneant post mortem? N.
3. An haeretici capitali supplicio sint afficiendi? N.
4. An subditi non privati, sed in inferiore Magistratu constituti, adversus superiorem Magistratum, in causa Religionis vi externa, bona conscientia se defendere possint? Afferimus cum omnibus candidis Theologis & Politicis.

AD

A D
Humanissimum Dn.
Respondentem.

Summi jura Boni refers GEORGI:
Id mentis labor expeditioris.
Virtutes, varias bonoris auras,
Opes, delicias voluptuosas
Dedignare, Platonicasq; formas.
Quid tandem? actio virtuosa pluris.
Næ pulchrè. Rationibus tuis sta:
Exoptata brabea consequere.

M. Valentinus Brüning Zittâ-
Lusat. Electoralis Alumnus

DEO MAJESTAS.

FINIS.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

2
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




OS A 1495

ULB Halle

3

003 781 78X





DISPUTATIO
De
**ULTIMO HOMI-
NIS FINE.**

Quam

Sub auspiciis S. S. & Individuæ Trinitatis,

ET

PRÆSIDIO

M. HIERONYMI VVEIXELBERGERI
VVellensis Austriaci, Facult. Philos. in Electorali
VVittebergensi Academia Adjuncti.

Publicè proponit

**GEORGIUS LAURENTII Lippâ-
Bojemus.**

*Ad diem 8. Septembris horis pomeridianis in audi-
torio veteri.*



WITTEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat, Anno 1619.

56.

